

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quòd Eunomiani quoque inter se discordarunt, variis nominibus ex
sectaru[m] authoribus appellati. Cap. XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

S O C R A T . H I S T O R .

Triginta quinque annos inter ipsos diuisi , post, Theodosio iuniore, & Pretore Plintho Cos. Quotquot Psathyriano- rum hæresi fauebant , quorundam hortatu inducti , finem contendendi fecerunt . A quibus , post reconciliationem factam , tanquam lege sancitum fuit , ut quæstionis , quæ fu- erat quasi contentionis caput , nunquam deinceps fieret mentio . Atque istud nusquam nisi Constantinopoli præ- stare potuerunt . Nam in alijs ciuitatibus , in quibus forte sunt Ariani , eadem inter ipsos manet contentio . Ve- rūm de Arianorum deuisione hactenus sermonem pro- duximus .

Quod Eunomiani quoque inter se discordarunt, va- riis nominibus ex sectarū authoribus appellati.

C A P . X X I I .

POrò Eunomiani inter ipsos fuere separati . Nam Eu- nomius ipse ab Eudoxio , qui illum iam pridem episco- pum Cyzici designauerat , arrepta occasione , quod Aëtium magistrum suum ab ecclesia eiectum nollet admit- tere , dissidere coepit . Quinetiam alii qui ab eo nomen ha- buerunt , in varias sectas disperiti sunt . Nam prim Theophronius quidam Cappadox , qui captiosas argutias cer- tandi studio accommodatas ab Eunomio didicerat , & pingui Minerua , vt aiunt , Aristotelis tum categorias , tum librum de interpretatione animo complexus erat , li- bros compositus , eosq; de mentis exercitatione , inscripsit . Vnde in odium apud suæ religionis fautores incurrens , ab illis , tanquam sectæ suæ desertor , eiectus fuit : qui conuen- tus separatis ab illis faciens , hæresim suo ipsius nomine nuncupatam reliquit . Deinde Constantinopoli Eutichi- us quidam leui frigidaque controversia commotus , se ab Eunomianis seiuinxit . Ac iam conuentus seorsum agit . Itaque qui Theophronum sequebantur , Eunomotheo- phroniani , qui autem Eutichium Eunomieutychiani ap- pellari sunt . Quam inanes ineptæque , res sunt de quibus dissentunt , non putaui operæ preium huic nostræ histo- riæ man-

riæ mandare, ne sermonem ad res ab instituto alienas transferrem. Attamen quod baptismum deprauarunt, non prætermitténdum censui. Nam non in Trinitatem, sed in Christi mortem baptizant. Inter Macedonianos præterea quodam tempore dissentio orta est: quippe Eutropius presbyter Macedonianorum, conuentus egit separati, à quo Carterius eiusdem sectæ dissensit: quinetiam aliæ sectæ in aliis ciuitatibus forte ex his ortæ. Verum ego, quoniam ætatem dego Constantinopoli, in qua natus educatusq; fui, vberius fusiusque res in hac vrbe gestas narro, quandoquidem & nonnullas earum ipse oculis vidi, & quæ in ea gestæ fuerint, illustriores videntur, hominumq; memoria digniores. Istæ sectarum diuisiones, non uno eodemq; sed varijs forte temporibus factitiae sunt. Quod si placet nomina variarum sectarum cognoscere, euolue librum Epiphanij episcopi Cypri, qui Ancyrotus inscribitur. Sed de his satis multa.

*De Eugenij tyrannide & Valentiniani paruuli nece,
& de tyranno à Theodotio Imperatore superato.*

CAP. XXXIII.

Reipublicæ etiam status tali de causa admodum perturbatus fuit. In partibus versus occidentem, Grammaticus quidam Eugenius nomine, qui latinas literas docebat, ludo relicto, primum in Regia satellitem agere cœpit: deinde quætor Imperatoris factus est. Et quia valde erat disertus, & honorem propterea præceteris consequebatur, secundum fortunæ flatum moderatè ferre non potuit: sed Arbogastem virum ex parua Galatia ortum, Praefectum exercitus, moribus Barbarum & in primis crudelem, consilij sui socium & adiutorem nactus, tyrannidem occupare molitus est. Ambo igitur Valentiniano Imperatori cædem machinari: Eunuchos Imperatoris cubicularios de ea re sollicitare aggrediuntur. Hi promissis maioris honoris & dignitatis inducti, Imperatorem dormientem opprimentes, strangu-